

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Svmmvla Selectarvm Qvaestionvm Regvlarivm

Bonagrata <von Habsheim>

Friburgi Brisgoiae, 1665

§. 4. De constitutionibus circa regulares editis

[urn:nbn:de:bsz:31-160625](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-160625)

§. 4. De Constitutionibus circa Regulares editis.

12. Constitutiones circa Regulares edita ubi contineantur.

IX.
Intra Vel
extra Cor-
pus Iuris.

PRæmemoratis SS. Pontificium Constitutionibus, cum omni hominum statui cuiuscunque gradus ac dignitatis extiterint, norma rectè viuendi & iniunctis legitime fungendi muneribus præscribatur; quæ Regulares propriè contingunt, potissima huius libri materia, in multiplici sunt differentia, quædam enim continentur in Corpore Iuris Canonici & in Conc. Trid. quæ vniuersos Religiosos obligant; aliæ autem sunt in eodem specialiter statutz pro Religione particulari, quæ nimirum continentur in Libro Decretalium, in Clementinis & Extrauagantibus. Aliæ autem sunt, quæ extra Ius commune vagantur. Hæ verò partim continentur in libro, Monumenta ordinis, nuncupato, partim in summa Constitutionum Papalium, & Bullario magnò Laertij; aliæ verò habentur in proprijs motibus & Constitutionibus, quæ in nullo speciali volumine reperiuntur, nisi quantum Authores priuati recentioris ætatis in vnum colle-

collegerunt, vt Rodriq. in Bullario Priuil.
 Peyr. eafd. scholijs elucidans &c. Quæ præ-
 cipue nunc temporis iuculantur Religio-
 nis, peculiari nuper libello impressa in lu-
 cem venerunt Romæ, & Mediolani, quibus
 complura quoque interferantur S. Congre-
 gationis Emm. DD. Cardinalium Decreta,
 quorum sicut & aliorum rescriptorum, quæ
 communiter Litteræ Apostolicæ nuncupari
 solent, notitiam cum Religiosos latere non
 deceat, non nihil etiam consequenter dicen-
 dum est.

§. 5. De Litteris Aposto-
 licis,

- o. *Littera Apostolica quid sint.*
- ix. *Littera Apostolica sunt aut Bullæ, aut Bre-
 uia, aut Rescripta.*

Littera Apostolica vocantur, quæ expedi-
 untur in Curia Romanâ per Papam &
 officiales, Papæ nomine, qualis est inter ali-
 os Summus Pænitentiarius, seu Pænitenti-
 arius, cuius Breuia sæpius etiam ipsis Regulari-
 bus committuntur executioni danda, vt vi-
 dere licebit V. Forum. Et de Dispensationi-
 bus matrimonialibus. Est autem Pæniten-
 tarius summus, semper vnus de Cardinali-
 bus,

X.
*Litteræ
 Apostoli-
 cæ quid
 sint.*

B

bus,